



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. II. De Effectibus Interdicti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

giost, ut diximus quæst. super. art. 2. cum Pal., & Avil.; Nec comprehenduntur Clerici, qui solum habent privilegium Canonis, & non fori; cum hi reputentur sæculares.

## ARTICULUS II.

## De Effectibus Interdicti.

- I. Non nisi tres sunt effectus Interdicti, Privatio aliquorum Sacramentorum, omnium Divinorum, & Ecclesiastica Sepultura. Plura tamen in cap. Alma Mater permittuntur.
- II. Quanam Sacramenta vi Interdicti prohibeantur?
- III. Qui privilegio gaudet audiendi Missam tempore Interdicti, num die festo teneatur illam audire?
- IV. Quanam dicantur Divina officia tempore Interdicti vetita?
- V. Quanam possint tempore Interdicti Divinis officiis, quæ permittuntur, interesse? Num infantes? Num Clerici conjugati? Num familiares eorum, qui privilegio gaudent?
- VI. Ecclesiastica sepultura quibusnam, & quando per Interdictum prohibeatur?
- VII. Num possit Ecclesiastica sepultura dari Interdicto, aut Suspensio ab ingressu Ecclesia? Et quid interest inter Suspensionem, & Interdictum ab ingressu Ecclesia?
- VIII. Interdictus nominatim denunciatus non privatur usu jurisdictionis in foro externo.
- IX. Num sit invalidum, an solum illicitum Sacramentum Pœnitentiæ ab Interdicto administratum?

I. **T**Res sunt, ut diximus, Interdicti effectus, Privatio aliquorum Sacramentorum, omnium officiorum Divinorum, & Ecclesiastica sepultura. Bonifacius VIII. jure novo in cap. Alma Mater tria indulgit

tempore Interdicti, (videlicet localis generalis, ut patet ex contextu) quæ jure antiquo erant prohibita. Primum circa Sacramentum Pœnitentiæ, quod possit ministrari omnibus, qui non dederunt causam culpabilem Interdicto; vel qui suo consilio, auxilio, aut favore non concurrerunt ad delictum, propter quod lata est sententia Interdicti; Istitis tamen solum in articulo mortis permittitur Sacramentum Pœnitentiæ. Secundum, quod possint celebrari missæ, & alia divina officia a Clericis in singulis Ecclesiis, (quo nomine ex Bonac. veniunt etiam hospitalia erecta auctoritate Episcopi, & Oratoria privata approbata ad missas in iis celebrandas) necnon in monasteriis; sed januis clausis, voce submissa, non pulsatis campanis, exclusis laicis non habentibus privilegium, exclusis etiam excommunicatis, ac interdictis, scilicet denunciatis, cum hos tantum excludere teneamur, ut notat Pal. Qui tamen si nolint exire, non proinde tenetur Sacerdos omittere Sacrum, ut putant Suar., & Laym., cum non sit eadem ratio de excommunicato, ac de interdicto denunciato. Tertium, quod in quatuor festivitibus præcipuis anni, videlicet Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis, possint officia celebrari solemniter januis apertis, alta voce, pulsatis campanis, & interdictis admissis, dummodo altari non appropinquent, qui dederunt causam Interdicto, idest, ut exponit Suar. disp. 14. sect. 1., dummodo non communicent, nec ab iis oblationes accipiantur.

Hoc privilegium extendit Martinus V. ad festum Corporis Christi Domini; & Eugenius IV. ad totam ejus octavam; Et Leo X. extendit ad festum Conceptionis Beatæ Virginis, & ad ejus octavam, ut notat Avil. part. 5. disp. 4. sect. 2. ex Sylvest., Henr. cap.

cap. 47. nūm. 4., & aliis. Porro festum Paschæ, & Pentecostes incipit a Missa Vigiliæ, quia in earum Vigiliis missa fit de ipsis festiuitatibus per anticipationem: Alia vero festa incipiunt a primis vesperis, & desinunt non in secundis vesperis, ut aliqui putant, sed in completorio festi, cum hoc pertineat ad celebritatem illius diei. Pal., Avil., Con., Hurt. putant, festum Natiuitatis, Paschæ, & Pentecostes includere sequentes dies festivos; quamvis aliqui cum Glossa dicant durare primo tantum die. Præterea Gregorius IX. in cap. *Permittimus*, de *sententia excommunicat.* in Interdicto locali, siue generali, siue speciali concedit Clericis, Pastoribus (idest Parochis, qui id aliis committere possunt) semel in hebdomada celebrare ad conficiendam Eucharistiam pro infirmis, seruatim conditionibus præscriptis in dicto cap. *Alma Mater*. Permittitur etiam in cap. *Quod in te*, de *Pœnit.*, & *Remission.*, quod in Ecclesiis Collegiatis officium diuinum a Clericis binis, vel ternis peragatur, non cantando, sed legendo sub iisdem conditionibus.

II. Quæritur nunc primo; Quænam Sacramenta prohibeantur per Interdictum?

Respondeo, prohiberi omnium Sacramentorum administrationem, & perceptionem, exceptis casibus in iure expressis, quos mox subiiciemus percurrendo per singula Sacramenta.

Primo itaque excipitur Baptismus, qui omnibus ministrari potest cum solitis solemnitatibus; quamvis non a persona specialiter interdicta, nisi privatim in casu necessitatis.

Secundo excipitur Confirmatio, quæ baptismo est affinis, & illius quasi complementum: Quare omnibus pariter ministrari potest, & ideo potest confici Chrysmata etiam in loco specialiter interdicto.

Tertio excipitur Sacramentum Matrimonii, quod in loco interdicto non solum a persona generaliter, sed etiam a specialiter interdicta celebrari potest, ut putant Pal., Hurt. contra Bonac., Ugolin., Sayr., & alios: Etenim matrimonium non cadit sub hac prohibitione, cum non sit res pure spiritualis; sed sit quidam humanus, & politicus contractus, cui ex institutione Christi Domini ratio Sacramenti est annexa; nullus autem contractus humanus tempore Interdicti prohibetur; Verum tamen est, quod notarunt Navar., & Sanch. contra nonnullos, benedictiones nuptiales tempore Interdicti non licere, nisi in festiuitatibus, in quibus permittuntur diuina officia.

Quarto, circa Extremam unctionem, certum est ex cap. *Quod in te* citato, neque recipi, neque ministrari posse in Interdicto siue locali, siue personali: Utrum autem Mendicantibus moribundis Extrema unctio conferri possit? Consulantur eorum privilegia: Quando autem infirmus nullum aliud Sacramentum recipere possit, probabile est, posse hoc illi ministrari ex præsumpta Ecclesiæ voluntate, ut docent Laym., Pal., & alii.

Quinto, nullum Ordinis Sacramentum conferri, aut recipi potest in loco interdicto, aut Clericis etiam generaliter tantum interdictis: Prima autem tonsura cum non sit Sacramentum, sed sacramentale, prohibetur solum, in quantum per Interdictum prohibentur diuina officia, ut dicemus quæst. sequenti.

Sexto, Sacramentum Pœnitentiæ conceditur, ut diximus, iure novo in cap. *Alma Mater*, omnibus, præterquam iis, qui causam dederunt Interdicto, excepto mortis articulo; immo istis neque in articulo mortis Sacramentum Pœnitentiæ, neque extra mortis articulum Confirmatio mini-

strari potest, nisi præstiterint prius satisfactionem: Quam si dare non possent, debent prius præstare cautionem pignoratitiam, aut fidejussoriam, aut saltem juratoriam. Sacramentum autem Pœnitentiæ administrari potest a persona generaliter, non tamen a specialiter interdictis; cum huic quælibet administratio Sacramentorum prohibeatur extra casum necessitatis: Quamvis si administraretur, valide administraretur, ut notarunt Bonac., Pal., & Filliuc.

Septimo, Eucharistia permittitur solum in articulo mortis cum solita solemnitate, & comitatu; non tamen specialiter interdictis, nisi cum conditionibus supradictis: Extra mortis vero articulum, ne innocentibus quidem generaliter interdictis permittitur Eucharistiæ susceptio; pro iis enim sola Missæ celebratio conceditur in cap. *Alma Mater*. Clericis tamen, & Religiosis communionem licere, etiam posito interdicto locali speciali, docet Escob. in summ. cap. 4. ex Tolet.

Præterea probabilis est, quod docent Suar. disp. 33. sect. 1., Pal. contra Bonac., & alios, quod hi, qui causam Interdicti non dederunt, nec sunt specialiter interdicti, possint Eucharistiam recipere in illis festivitatibus exceptis; Nam in cap. *Alma Mater* tantum excluduntur, qui causam Interdicti dederunt, & specialiter interdicti. Præterquamquod hoc privilegium administrandi in iis festivitatibus Eucharistiam habent fere omnes Religiosi ex suis privilegiis: Si quis tamen vellet oppositam sententiam sustinere, non teneretur præcepto communionis in Paschate; sicuti quia non permittitur Missa die festo tempore Interdicti, nemo tenetur ad illam audiendam.

III. Rogabis: An qui ex privilegio possent tempore Interdicti missam audire die festo, aut communicare in

*Pars VIII.*

Paschate, ad id teneretur?

Respondet affirmative Bonac. hic punct. 4. cum Henr. contra Avil., & Con.; Sicut qui in carceribus detentus obtinet a Judice facultatem audiendi missam, tenetur illam audire; cum cesset impedimentum, a quo excusabatur. Avil. tamen part. 5. disp. 4. sect. 2. putat, solum Religiosos, & Clericos, qui secundum jus commune eximuntur ab Interdicto, ad id teneri; non tamen habentes privilegium; cum nemo teneatur uti privilegio suo. Quod confirmat, quia si diceretur missa in tali distantia, ut non comprehenderetur in continentia mœniorum, quamvis non sit tanta, ut deobligaret homines ab audienda missa, si non esset Interdictum, non tenerentur tamen homines illuc ire ad missam audiendam tempore Interdicti. Ad rationem in contrarium respondet, impedimentum carceris esse impedimentum ipsius personæ; sicuti impedimentum infirmitatis; unde eo cessante datur obligatio audiendi missam: Econtra in casu nostro impedimentum est ipsius juris deobligantis a missa audienda, & dantis privilegium aliquibus personis; quæ tamen cum non teneantur uti privilegio, non tenentur missam audire tempore Interdicti. At Clerici, & Religiosi tenentur audire missam, quia in Interdicto non includuntur; unde non habent privilegium, sed obligationem audiendi missam.

IV. Quæritur secundo; Quid veniat nomine Divinorum officiorum, quæ per Interdictum prohibentur?

Respondeo cum communi apud Suar., Bonac., & alios, Divinorum officiorum nomine intelligi quæcumque sunt in Ecclesia a Ministro Ecclesiastico, seu a persona consecrata, vel deputata ad illud; sive quæcumque a solis Clericis ex institutione Christi, vel Ecclesiæ fieri permittuntur; ut

V. sicut

sunt sacrificium missæ, horæ Canonicae, officium Beatæ Virginis cum Psalmis, & litanis in loco ad id deputato cum sua solemnitate; unde etiam monialibus tempore Interdicti id prohibetur; Et universim omnia Sacramentalia prohibentur, seu omnia, quæ ad solemnem ritum Sacramentorum spectant, vel immediate, vel præparatorie, vel consecutive; ut solemnis benedictio nuptiarum jam celebratarum, benedictio templi, vasorum, & vestium sacrarum, candelarum in die Purificationis, & ramorum in die Palmarum, fontis baptismalis, aquæ lustralis, Chrismatismis, altaris consecratio, fusio aquæ cum Asperges, solemnis benedictio Episcopi, professio solemnis in Religione, litanis processionaliter recitata, collatio primæ tonsuræ, &c. Contra tamen permittuntur, quæ non requirunt personam Ecclesiasticam ad ea deputatam; cum non censeantur officia Ecclesiastica communia, sed privata; ut benedictio mensæ, oratio pro itinere, adoratio Crucis die Parasceves, sine tamen orationibus ab Ecclesia pro eo actu institutis, quæ dicuntur officia illius diei. Permittitur pariter salutatione Angelica dici solita statutis horis diei, concio, lectio sacra, litanis in Ecclesia, vel extra Ecclesiam cantatæ, dummodo non canantur solemniter, idest cum superpelliceo, & cum, Dominus vobiscum. Recitari etiam potest confessio generalis; quia hæc omnia etiam a laicis fieri solent: potest etiam, qui ad officium tenetur, recitare illud cum sociis, modo non ita recitent, ut publicam orationem facere videantur.

Cum autem Divina officia non permittantur, nec permittitur pulsatio campanæ ad convocandos Sacerdotes ad missas celebrandas; immo aliqui putant, neque licitum esse uti tintinnabulo ad Sanctus, & in missæ elevatio-

ne, sed tabula cum matraca, seu tuba; quorum tamen sententiam non sequor, cum tintinnabulum non pulsetur ad populum convocandum, sed ad excitandum illum ad Christi adorationem; & ideo omnes docent, licitum esse pulsare campanas in solita salutatione Angelica, vel ad indicandam populo festivitatem alicujus diei, vel ad Eucharistiam comitandam, aut ad concionem, &c., cum hoc non sit ad Divina officia convocare.

V. Dubium est; Quinam possint tempore Interdicti localis generalis admitti ad Divina officia, quæ permittuntur in cap. *Alma Mater* singulis Ecclesiis, & Monasteriis sive virorum, sive mulierum, januis clausis, voce submissa, & non pulsatis campanis?

Respondeo cum Bonac. punct. 3., posse admitti Primo amentes, & infantes; quia cum careant usu rationis, non sunt capaces præcepti, & obligationis, nec possunt Divinis officiis moraliter interesse; Et ideo putat Henr., non esse peccatum admittere infantem ad Claustrum Monialium; quanvis in Trident. sess. 24. cap. 5. feratur excommunicatio in ingredients Claustra Monialium. Secundo admitti possunt Clerici non conjugati, dummodo non sint excommunicati, aut specialiter interdicti, nec dederint causam Interdicto; cum enim Divina officia permittantur, & hæc a Clericis celebrentur, permittitur consequenter Clericos ad ea admittere. Admitti etiam possunt propter eandem rationem Clerici conjugati, si sint addicti alicui Ecclesiæ, vel ministerio Sacro; aliter reputantur tanquam laici; quamvis, si gestent habitum, & tonsuram, gaudeant privilegio Canonis, & fori. Contra tamen non possunt admitti Primo excommunicati, & interdicti, videlicet nominatim denunciati, ut supra notavimus, quia istos

istos tantum tenemur vitare. Secundo laici non habentes privilegium, ut docent communiter Doctores cum Suar., Avil., quia aliter frustra claudendæ essent januæ ad Divina celebranda.

Dubium est secundo; An qui tempore Interdicti habet privilegium assistendi Divinis officiis, possit secum adducere familiares?

Respondeo cum communi affirmative; dummodo causam non dederint Interdicto: Familiares autem dicuntur domestici, qui sunt de ejus familia, & eum solent comitari; atque adeo non solum uxor, filii, &c., sed etiam famuli, qui continue in ejus familia assistunt sustentati ejus sumptibus. Quod si quis famulorum, qui illum comitari solent, sit absens, aut infirmus, potest alter substitui: Isti tamen non possunt sine domino ad Divina officia admitti.

VI. Queritur tertio; Quibus, & quando prohibeatur Ecclesiastica sepultura?

Respondeo, quodvis Interdictum sive personale, sive locale privare Ecclesiastica sepultura tam personas, quam locum, ita scilicet ut in loco interdicto non possit sepeliri cadaver in Ecclesia, aut in Cæmeterio benedicto, nec in loco ubi Divina peraguntur, nec cum pompa funerali; Si tamen Interdictum sit locale, possunt in alio loco sacro non interdicto sepeliri personæ, quæ non dederunt causam Interdicto, nec sunt nominatim denunciatae; cum nullum extet impedimentum neque ex parte personæ, neque ex parte loci non interdicti: Non possunt tamen in loco sacro interdicto sepeliri, ne infantes quidem, & amentes; quia quamvis non extat impedimentum ex parte personæ, extat tamen ex parte loci interdicti: Quare sepeliri debent in campo, aut in Cæmeterio ab Episcopo

deputato, non tamen benedicto.

Notat tamen Laym. ex Suar., Con., & aliis contra Sà, & Escob. in summ. cap. 4., in Interdicto generali satis esse, ut tota communitas sit denunciata, ut singula ejus membra teneamur vitare relate ad officia Divina, & Ecclesiasticam sepulturam; cum sit moraliter impossibile omnes nominatim denunciari. Si tamen in loco sacro sepeliantur, non eatenus sunt exhumandi; Immo econtra qui tempore Interdicti in loco non sacro sepeliuntur, elapso Interdicto, exhumandi sunt, & in loco sacro sepeliendi.

A prædicta regula excipiuntur Primo Clerici, qui si non dederunt causam Interdicto, sicut possunt officia Divina celebrare januis clausis, ita possunt eodem modo in loco sacro etiam generaliter interdicto sepeliri; & in quatuor illis festivitibus possunt etiam cum pompa funerali: Nominem autem Clericorum veniunt etiam Religiosi, Moniales, & Clerici conjugati addicti servitio alicujus Ecclesiæ: Secundo excipiuntur laici, qui habent privilegium assistendi Divinis officiis; tum quia quibus communicamus vivos, possumus etiam mortuis communicare; tum etiam quia, si conceditur iis assistere Divinis officiis, quod est principale, conceditur pariter Ecclesiastica sepultura, quæ est accessorium: Tertio propter eandem rationem puto cum Bonac., Henr., Sylvest. contra Suar., Con., Avil., quod possint etiam laici in quatuor illis festivitibus sepeliri in loco sacro publice; quamvis enim Ecclesiastica sepultura non sit Divinum officium, tamen quibus conceditur, quod est principale, intelligitur etiam illud accessorium concedi.

VII. Rogabis; An interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit in loco sacro sepeliri?

Respondeo, ex cap. *Is cui*, de *sententia excommunicat.* in 6. quod si dederit signa contritionis, possit absolvi, & in loco sacro sepeliri; secus vero non possit. Quid autem significet, aliquem esse interdictum ab ingressu Ecclesiae, & utrum talis censura sit dicenda suspensio, an vero Interdictum? diximus quaest. super. art. 4.

Notandum hic solum ex Avil. disp. 4. dub. 5., & Henr., per suspensionem ab ingressu Ecclesiae solos Clericos ligari; per Interdictum vero ab Ecclesiae ingressu ligari etiam laicos, ne officiis Divinis intersint. Praeterea talis suspensio ferri non potest pro culpa aliena; potest vero tale Interdictum ferri; Et ideo aliquando in jure haec censura vocatur suspensio ab ingressu Ecclesiae, aliquando vero Interdictum.

VIII. Quæritur quarto; An Interdictus privetur usu jurisdictionis exterioris?

Respondeo cum Bonac., Avil., & aliis communiter negative; cum hoc non includatur in triplici effectu assignato Interdicti. Quare Interdictus, etiam nominatim denunciatus poterit excommunicare, & absolvere in foro exteriori, etiam cum solemnitate, tam intra, quam extra Ecclesiam. Sacramentum vero Pœnitentiæ ministrare non potest, cum hoc includatur intra Divina officia, quæ per Interdictum prohibentur.

IX. Utrum autem Sacramentum Pœnitentiæ ab interdicto ministratum sit solum illicitum, an etiam invalidum? Disputant Doctores. Bonac. putat, esse solum illicitum, sicuti si ab irregulari ministraretur. Suar. tamen censet, fore invalidum, quia Interdictum privat rebus Divinis, quantum potest.

## ARTICULUS III.

Quam ob causam? A Quo? Et erga Quos ferri potest Interdictum?

- I. *Interdictum personale speciale* presupponit culpam propriam; secus vero *Interdictum generale*, sive personale, sive locale.
- II. *Innocentes per Interdictum generale non puniuntur*, sed solum Ecclesia ob justam sui defensionem subtrahit illis suum ministerium.
- III. *Interdictum generale* prærequirit gravem culpam. Et probabilius etiam *Interdictum speciale personale*, nisi sit *partiale*.
- IV. *Interdictum generale*, ac *speciale locale* imponi nequit ob debitum pecuniarium; potest tamen ob id imponi *Interdictum speciale personale*, non secus ac *Excommunicatio*, & *Suspensio*.
- V. *Ritus ferendi Interdictum* quinam sit?
- VI. *Ferre possunt Interdictum*, qui jurisdictionem habent in foro exteriori, demptis *Pralatis regularibus ex desuetudine*. Etiam *excommunicatus vitandus* interdiceret potest.
- VII. *Quanam persona*, & *quanam loca interdici possunt?*
- VIII. *Interdictum locale etiam ab Interdicente servandum est*; nisi velit illud ad tempus, vel simpliciter tollere.

I. **Q**uæritur primo; Ob quam culpam possit Interdictum ferri?

Respondeo, Interdictum personale speciale ferri non potest, nisi ob culpam propriam, cum nullus innocens possit licite puniri. Ita communiter contra Avil. dub. 3.; Ubi ex Henr. di-